



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propugnaculum: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Placiensis n. 9

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

9. A PLACIENSI In Prouincia Sicula, que cum animorum fructum experiretur, & pristinam disciplinam per nostros suauiter restitui animaduerneret, eam erga nos admirationem ac beneuolentiam concepit, ut in ea verba, per totas ades eius Ciues prorumperent, ac clamarent, Sedentibus in tenebris, & in umbra mortis lux orta est nobis: Viros item Societatis, Christi Apostolos, Paradisi Angelos, appellarent. Ita in *Annal. Soc. ann. 1602. fol. 33.*

Eius filij sedentibus in tenebris, & umbra mortis lux sunt.

Christi Apostoli, & Angeli Paradisi nuncupantur.

10. A CATANZARENSI in Regno Neapol. vbi Collegium erat vulgo pergratum, & fructuosum, difficultas tamen nostros angebat, vnde nam victui necessaria possent comparari, quod vbi rescijt Ciuitatis Concilium, communi omnium consensu, Se, vel filios, si opus foret in alimenta Collegij vendituros, nobis illico testatum esse voluerunt: quatuorque e suo delectis Corpore remedij curam delegant. Sic Par. 4. *Hist. Soc. lib. 5. n. 56.*

Ne ipsis alimenta deficiant vel filios se vendituros Catanzarense affirment.

II. A LVCERNENSI, Cum Schulteto Prætre, maiori item, minorique Concilio prolixa ad Euerardum Epistola, in qua præfati summum dolorem inde haustum, quod audissent, Patres Lucerna reuocandos, subiiciunt, A se nequaquam eo Consilio accersitos, vt vnquam dimitterent. Nam id (inquunt) non modo ingens nobis detrimentum, verum etiam probrum afferret, tum apud Hæreticos circumiectos, qui gauderent Antesignanos veræ fidei, & satores Germanæ doctrinæ, quæ ipsi maximè horrent, à nobis amissos: tum apud fæderatos nostros, qui dolerent nos tanto præsidio spoliatos. Et sane cum hæc veneranda Sodalitas Instituta sit ad sustinendam, ac propagandam religionem Catholicam, pietatemque amplificandam: nosque hac re non minus, quam alij indigeamus: speramus non magis nobis, quam alijs denegatum iri auxilium: cum parati simus ijsdem, & fortè amplioribus, quam alij, eam Officijs profsequi. Nam quam vberem hic habeat materiam, id quod intendit consequendi, compertum est hoc breui missionis tempore, quo fructus tam singularis apud lenes æquè ac iuuenes partus est. Nos vero (quod sine iactantia dictum sit) ij semper fuimus, sumusque hodie qui Catholicam fidem

Litera in Sociorum commendationem.

Sunt veræ fidei antesignani, & satores Germanæ doctrinæ.

Societas instructa ad sustinendam, & propagandam Catholicam Religionem.

Missionum fructus singularis.

defen-